

**200-08-05 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Ecclesiae Traditio’****IOANNES PAULUS PP. II**

***EPISTULA DATA  
ROSALIO J. S.R.E. CARD. CASTILLO LARA,  
PRAESIDI EMERITO  
PONTIFICIAE COMMISSIONIS  
PRO CIVITATE VATICANA***

*Venerabili Fratri Nostro  
ROSALIO J. S.R.E. Card. CASTILLO LARA  
Praesidi emerito Pontificiae Commissionis  
pro Civitate Vaticana*

Ecclesiae traditio ubique terrarum congruentem tribuere consuevit honorem Christo Iesu, sub panis vinique speciebus recondito, unde hoc sacro convivio non tantum christifidelium vita nutriatur, verum etiam cuiusque christianaæ familiae vinculum roboretur et significetur.

Saluberrimo quidem de consilio novimus Sacros Argentineae Praesules, simul cum universo suo populo, ad maius momentum Magno universae Ecclesiae Iubilaeo tribuendum, Congressum Eucharisticum Nationalem apparatuos esse, hac inspiratos sententia: *"Obviam Christo: heri, hodie, semper... Cognoscimus Eum in fractione Panis!"*. Cupimus et Nos ut hae pietatis testificationes confirmentur omniumque fides concitetur, quo latius pleniusque hodierni homines spirituali fruantur salute et ipsi hoc divino de Sacramento uberrimos capiant fructus.

Itaque quo celebratio haec clarius peragatur et magnificentius, eminentem virum mittere statuimus, qui personam Nostram tueatur Nostramque simul mentem ostendat. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus, qui aptissimus dignusque visus es ad ministerium hoc sustinendum et efficaciter explendum, cum sollerter actuositatem tuam Ipsi et officia prope Nos laudabiliter explicata probe noverimus. Ideo te *Missum Extraordinarium* constituimus ad hunc Congressum Eucharisticum, qui in Argentina, nominatim Cordubae, hoc anno habebitur inter dies VIII et X mensis Septembbris.

Ut autem ex hoc Congressu copiosissimi unitatis et pacis fructus percipientur, Deum plurima prece obtestamur; et dum haec cogitata Nostra tecum amanter communicamus, volumus ut haec verba Nostra transmittenda studeas et cohortationem ad Eucharistiae vehementiorem cultum itemque omnibus participibus benevolentiam Nostram signifies.

Benedictionem tandem Apostolicam, superni iuvaminis nuntiam et felicioris aevi pignus, cunctis impertimus Congressui adstantibus, sacris Praesulibus, presbyteris et religiosis, laicis ipsis fidelibus, quos omnes benignissime quoque in Domino consulamus.

*Ex Aedibus Vaticanis, die V mensis Augusti, anno MM, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.*